



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Nicolai Mazzotta *theologia moralis***

omnem rem moralem absolutissime complectens

**Mazzotta, Nicolò**

**Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756**

Cap. I. Quid sit Reservatio, quæ peccata, & à quibus reservari possint?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41004**

## CAPUT I.

*Quid sit Reservatio, Quæ peccata, & à Quibus reservari possint?*

**Q**UÆRES primo, Quid sit Reservatio?

Respondeo, Est *Restriccio jurisdictionis concessa Sac-  
doti inferiori in ordine ad aliquod peccatum, seu censuram.*  
Essē autem convenientissimum, ut Superiores aliquorū  
peccatorum absolutionem sibi reseruent, tum ut atro-  
ciora quædam, & graviora crimina exactius judicentur,  
iisque efficacius remedium adhibeatur, tum ut fideles  
ab iis committendis coercentur ob difficultatem obti-  
nendæ absolutionis, docet Trid. sess. 14. c. 7.

Quæres secundo, Quæ peccata reservari possint?

Respondeo primo: Peccata etiam venialia reservari  
probabiliter possunt à Summo Pontifice, cum ab eo om-  
nis jurisdiction in alios Praelatos derivetur; de facto ta-  
men nunquam reservantur peccata venialia; imo Con.  
Laym. docent, Episcopos, aliosque Praelatos Pontifice  
inferiores invalide sibi reservare venialia, quia univer-  
sali Ecclesiæ consuetudinè, cui solus Pontifex derogare  
potest, cuilibet Sacerdoti concessa est facultas absolven-  
di à venialibus.

Respondeo secundo: Peccata mortalia mere interna  
reservari possunt, sicuti reservantur Papæ vota aliqua  
mere interna; quia, licet Ecclesia non judicet de in-  
ternis, tamen jurisdiction ad absolvenda peccata mere  
interna conceditur ab Ecclesia, quæ proinde potest eam  
limitare. De facto tamen non reservantur, nisi peccata  
externa. Hinc nec reservationem, nec excommunica-  
tionem incurrit, qui hæresim mere internam habuit; si  
autem illam aliquo actu externo de se mortaliter malo  
manifestat, etiamsi id occulte faciat, reservationem, &  
excommunicationem incurrit, quia, quotiescumque in  
reservatione aliud non exprimitur, incurritur, licet ex-  
ternum peccatum sit occultissimum. Duo præterea re-  
quiruntur ad reservationem incurrendam: primum, ut  
actus externus de se sit gravis: secundum, ut actus in-  
ternus mortaliter peccaminosus influat in actum exter-  
num de se gravem; quare excusat ab incursu reserva-  
tionis, & excommunicationis, qui volens Clericum  
occidere, illum solum leviter percutit, vel qui inten-  
dens

dens levem Clerici percussionem , casu illum occidat .  
Quoniam vero ex Trid. supra cit. reservatio fieri debet  
*In aedificationem , non in destructionem , & quoad atrociora ,*  
*& graviora crimina , illicite Pontifex reservaret omnia*  
*simil mortalia externa , vel majorem eorum partem :*  
*Episcopus vero etiam invalide , ut contra Suarez addit*  
*Vasq. præsertim si notabiliter minueret jurisdictionem*  
*Parochi , ut concludit Lug.*

Quæres tertio , Quis possit casus reservare ?

Respondeo , Posse illos omnes reservare , qui habent jurisdictionem ordinariam , eamque aliis delegant ; pos-  
sunt enim illam delegare vel plene , vel restringe tan-  
tum ; unde non solum Summus Pontifex , Episcopus ,  
aliique Prælati , verum etiam Parochus posset casus re-  
servare respectu illius , cui ab ipso debet delegari juris-  
dictione : Vasq. Dicast. Croix contra Suarez , & Busemb.  
qui negant Parocho hanc potestatem .

## C A P U T II.

*Quinam incurvant Reservationem , & quinam ab  
ea excusentur ?*

**C**ERTUM est , neminem incurrere reservationem , aut censuram , qui ex conscientia erronea peccat , falso putando eam incurrere , quia non incurritur poena hu-  
mana , ubi à lege non est statuta . Videndum igitur hic , An , & quam reservationem incurvant , & à qua excu-  
sentur Pueri ante pubertatem , Ignorantes , Peccantes  
ex metu , Vagi , Peregrini , Regulares , & Moniales ?

Quæres primo , An pueri ante pubertatem peccantes  
incurrant casus reservatos ?

Respondeo , Certe non incurrere ullum casum etiam cum excommunicatione , aut interdicto reservatum in  
hac Dicecisi Neapolitana , in cuius tabella expresse ex-  
cipiuntur , si peccarent ante 14. annum completum : at ,  
quoad casus Papales , & Episcopales alterius Dicece-  
sis , ubi non expresse excipiuntur , est dubium : negant  
etiam Palud. Graf. Belloch. & alii cum Dian. p. 2.  
t. 15. r. 1. quia , sicut minor ætas excusat impuberis  
à poena in foro externo , ita pariter in foro interno ,  
& consequenter etiam à reservatione , maxime si hæc  
adnexam